













1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23





In hoc volumine continentur:

- 1, de aestu maris microscopium. Hal. 1704.  
2, de erroribus medicinae practicae. Hal. 1704. (de legid. libri med. 49)  
3, de consulta utilitate haemorrhagiarum. Hal. 1704.  
4, de fundamentis theoriae medicae. Hal. 1704.  
5, de epistola rationali medica. Hal. 1704.  
6, de abortu et foetu mortuo. Hal. 1704.  
7, de praesensuum effectibus. Hal. 1704.  
8, de philosophia Teijpiorati. Hal. 1704.  
9, de febrium theoria si genere. Hal. 1704.  
10, de novitatibus medicis si genere. Hal. 1704.  
11, de physiologia medica positiva. Hal. 1705.  
12, de physiologia medica ad pathol. theop. et pract. clinic. dirite conferr. Hal. 1705.  
13. de vita. Hal. 1701.  
14, de anomalis motuum vitalium et. Hal. 1701.  
15, de febris si genere. Hal. 1701.  
16, de motu tonico vitali. Hal. 1702.  
17, de Hypochondriaco-hystrico malo. Hal. 1703.  
18, de vena portae portae malorum. Hal. 17...  
19, de morbo an aetateus fundamentis. Hal. 1698.  
20, de haemorrhoidum, internar. motu et ileo haemite Hypocri. Hal. 1698.  
21, de Orogagaeo medico. Hal. 1698.  
22, de padraeae nova pathologia. f. l. et a.  
23, de cephalalgia iliaco-haemalition. Hal. 1798.



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De,  
**ABORTU & FOETU MORTUO,**

15  
Quam,  
*In Alma Regia & Electorali Fridericiana,*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS  
BRANDENBURGENSIS HEREDE,  
&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
PRÆSIDE  
**DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,**  
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.  
h. t. FACULT. DECANO,

*Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore*  
*suo, grata mente æternum suspiciendo,*

**PRO LICENTIA**  
**Summos in ARTE MEDICA Honores, &**  
Privilegia DOCTORALIA adipiscendi,

*Ad* Mart. Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis  
Ventilationi publicæ exponit,  
**JOHANNES KANOLD,**  
Vratislavia Silesius.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.



V I R O  
PRÆ-NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,  
ATQUE EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O,  
**DN. GEORGIO  
ERNESTO STAHLIO,**  
MED. D. ET PROF. PUBL. ORD. CELEBER-  
RIMO, h. t. DECANO SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptori, atque Fau-*  
*tori suo astumatissimo, fidelissimo, maximo,*  
In gratæ atque obstrictissimæ mentis testimonium

Hanc  
Dissertationem Inauguralem,

Devote offert atque dedicat  
RESPONDENS.





## PROEMIUM.



Vantumlibet verum

omnino sit, & summa insuper atque attentissima consideratione, ac pensitatione dignum, quod homines, in proportione summæ illius, imo absolutæ, si in se spectentur, dispositionis ad corruptionem, quam corpus illorum præ sese fert, valde raro ægrotent; non minore tamen, sed sane tanto circumspectione consideratione dignum est etiam illud, quod nihilominus sub hac infrequentia, frequentia tamen insignis adhuc observanda veniat, si homines ad bruta conferantur. Non placet hoc loco materiæ hujus tractationem suscipere, cum eidem jam alium, sub divinæ gratiæ Favore & præsidio, destinaverimus: interim illud breviter delibare non piget, quod magnum fundamentum hujus frequentioris ægrotandi eventus in hominibus sit rationis tam fragilis atque fluxæ, uti est, usus perversus & inconsideratus: sensuum lenocinio, & malè-moratarum intentionum turbulentæ inventioni innixus: Quibus rebus genealogiam suam debet perversarum,



rum, & tamen contumacium Assuetudinum turba, quæ tranquillitati, ordini, atque constantiæ actionum vitalium, multiplices aberrationes inducunt. *Εκ γενεῆς νόσον εἶναι τὸν ἀνθρώπον, à generatione usque sui, morbum seu morborum mancipium esse hominem*, Democritus olim iudicasse perhibetur. Quantumlibet autem de reliquo quidem, si actum ipsum respiciamus, effatum hoc fallat; valet tamen, tum de dispositione illa perpetua, utique eximia, tum etiam de eventu utique effectuum in homine præ brutis omni modo frequentiore. Placet considerationem hanc exemplis confirmare: dispositionem inquam, qua homo vel *ἐκ γενεῆς*, ab ipsa usque generatione sua & primis subnascendi initiis, aberrationibus vitam ejus periclitantibus & indolis verè humanæ actiones pervertentibus, obnoxius observatur. Quid enim sunt graves illi affectus, qui Fœtui adhuc in utero matris hærenti ingruunt à pathematibus animi, & stolidi imaginatione matris; à quibus *structura*, à reliqua humana indole plus minus aliena; pavida, horrida, violenta & convulsiva, tam *ingenii* impressio, quam *motuum* temeraria assuefactio: in utero quidem matris impressa, sed extra hunc etiam, durabili indolis ac intentionis depravatione, perennans: Quid nævi materni, fœdi subinde, imo horrendi aliquando; mutilationes, deformitates, alienas, & bestiales aliquando, figuras atque conformations imitantes. At vero gravissimam esse illam *τῆς γενεῆς νόσον*, qua misellus homuncio, in ipso fiendi & suboriendi demum actu, crudeliter atque violenter obruitur, & ex ipso nativitatæ suæ impetrandæ fonte veluti atque fundo ejicitur, nemo sit  
 quia



quin facile consentiat. Neque vero minor, sed puto major, & commiseratione dignior, est ille *ἐκ γενεῆς* infelix exitus, quando in ipso portu, quod ajunt, fit naufragium, & feliciter *τὴν γενετὴν* hactenus adeptus foetus; ubi jam in liberiorem vitalem auram emergere, & operosè structæ suæ officinæ usu frui debebat, temere & velut ex insperato pessundatur, & è medio rerum suarum successu, perfide, aut sane perversè, supprimitur atque extinguitur. Mortem, loco vitæ, in partu designare velle hac descriptione, nemo, puto, non intelliget: Hæc certe duo exempla, quibus Foetus vel in media sua subnascendi operatione, deficit, aut destituitur: aut feliciter peracta illa subnascendi opera, in limine vitæ ita graviter impingit, ut inde in mortem recidat, **ABORTUM** inquam, & **PARTUM MORTUUM**, medica disquisitione prosequi, propositum esse putamus, non solum solertis considerationis occasione conspicuum, sed etiam Exercitii publici loco non indignum. Cum itaque mihi incumbat **INAUGURALE**, quod vocant, specimen edere, placuit hanc imprimis materiam mihi sumere, in eaque vires meas experiri. Faxit **DEUS** ter optimus maximus, ut hoc meum cœptum, & feliciter succedat, & in usum aliquem cedat.



## Historiam Abortus, & Partus Fœtus mortui exhibens.



On occupabimur prolixè in Nominibus, satis habentes, dixisse, quod per *Abortum* nihil aliud recepto sensu intelligatur, nisi *partus prorsus intempestivus*, ita quidem, ut vel nondum ad crassum sensum *vivat*, vel vivus quidem, nondum tamen ad eam structuræ totius corporis *ampli* pervenerit, ut in aëre nostro durare, & crassiore jam nutrimento corporis sui incrementum rectè profectui, imò absolvere & exsequi possit, quin certissimè periculum vitæ insuperabile hâc ratione ipsi objiciatur.

Circa *Fœtus mortui* acceptionem, nulli difficultati est locus. Illud tamen attingere suffecerit, quod diversitas utique moriendi, ratione temporis, differentiam aliquam speret; quandoquidem tum longo adhuc tempore ante justum partus terminum, æque ac vicissim proximo ad partum tempore, imò sub ipso partus labore, Fœtus vitam amittere solet.

Sicut autem dicta ratione *Abortus*, consistit in penitus *intempestiva* Fœtus exclusione; ita scire omnino convenit, quod hæc *temporis* anomalia tam latè sese diffundat, ut vel à primo usque gestationis mensè, ad quodlibet aliud tempus, usque ad posteriores menses, quibus jam *vitalis* magis est partus, hæc ipsa excussio præmatura sese extendat.

Sanè verò si strictissimè loqui placeat, potest etiam quilibet partus, qui quidem antè *noni mensis* periodum in lucem editus est, quadantenus ad *Abortus* referri; & non solum, uti reverà etiam est, *intempestivus* haberi; sed etiam de illo dici, quod minimè sine aliquo *vite*, aut ad minimum solidioris atque constantioris *Sanitatis* atque *vivacitatis* infantis peri-



periculo ita evenerit. Interim tamen non adeò rigidè circa hanc acceptionem laborabimus, sed contenti erimus in taxanda solùm graviùs aberrante hujus intempestivæ exclusio-  
nis *arægia*.

Illud autem omni modo ad veram hujus mali histori-  
am pertinet, quod *Abortus*, nisi quidem à causis exquisitè vio-  
lentissimis, nunquam eadem facilitate contingat, quàm illis  
*septimanis*, imò *diebus*, quibus aliàs in præsentè *Gravidâ men-*  
*struæ* evacuationis periodus sese commovere consuevit. Quod  
quidem tantò magis valet in ejusmodi *Fœminis*, quæ has ex-  
cretionès magis *exquisitè stas* experiri consueverunt.

Tantò magis autem consideratu dignum est illud, quod  
*abortus* talis subinde *recrudescens*, tantò exquisitiùs abhinc ser-  
vare soleat *tempus* illud, quo primâ vice emicuit; & hoc ite-  
rum tantò certius, quo magis primâ illa vice *menstruo* alicui  
tempori pressius sese accommodavit.

Ita enim v. g. inter alios non absimiles casus, observavit  
D.D. Præses in Illustrissima quâdam *Dominâ*, quæ *quinquies*  
deinceps abortum passâ est, quod singulis hisce mali hujus re-  
crudescentis vicibus, abortus *stato* quodam ordine non so-  
lum inciderit in *tertiâ mensis ultimam septimanam*; sed perpe-  
tuo velut ordine, initium fecerit à tacitâ prorsus atque mitis-  
simâ *Sanguinis* eruptione, *mensium* consuetæ evacuationi  
ex amussim respondente: quæ postquàm per *sex* dies ita  
planè tranquillissimè atquè moderatissimè continuavit, co-  
orta est *septimo die* vehemens omninò sanguinis effusio, cum  
maximâ debilitatione; & animi prius, quam virium dejectione,  
succedentibus ultimò, imprimis penultima, & ultimâ vice,  
syncopiticis deliquiis, & vitæ periculis: Quæ symptomata  
per tres ad quatuor horas ita continuata tandem eliso *abortu*,  
(qui, nempe cum universis involucris, ovi gallinacei medio-  
cris magnitudinem non superabat) omnia pacatiora fiebant.  
In alio exemplo observavit post integrum annum, nempe no-  
vem ad minimum mensibus post priorem abortum facta no-  
va.



va conceptione, excuffionem hujus non aliter quam prima vice, circa quarti mensis finem pariter eveniffe. Item in alia Juvencula, quæ nunquam adhuc pepererat, sed in matrimonio, ab 18. circiter mensibus contracto, jam bis secundo mense à conceptione abortum passa erat, tertia vice per idem tempus incipiebat sensationes priores pari tempore iterum, perfensciscere: ubi tamen tempestive adhibitis efficacibus remediis, per DEI gratiam præservata est à simili eventu, & felicis gestationis atque partus compos facta.

Illud insuper de *frequentiore*, & imprimis cum graviorebus symptomatibus complicato, *abortu*, notandum venit, quod Fœminæ ab illo facile *sterilescent*. Si tamen rei huic circumspicius advertatur animus, poterit deprehendi, quod hic eventus non tam facile promiscuè obtingat, etiam frequentiores abortus perpeffis, quàm illis, quæ vel uno solum aut altero tali abortu correptæ sunt, sed *grandiore jam Fœtu*, & ad absolvendam suam vegetationem, magis idoneo & veluti digno.

Ab hujusmodi inquam jam *grandioris Fœtus Abortu*, repetito, imprimis autem difficilius excuffio, solet dicta illa *sterilitatis* successio, familiarius evenire: de simplici enim admodum *immature* Abortu, etiam *numerofis vicibus* deinceps facto, annotavit nihilominus D. D. Præfes plura exempla, quod concipiendi, & sanum atque vegetum Infantem iterum gestandi ac in lucem edendi energia, non defecerit, sed potius feliciter hæc omnia cesserint ac evenerint: modo *repurgatio uteri debita* tempestivè, rectè atque sufficienter adhibita fuerit.

Nempe ad historiam *Abortuum repullulantium* maximo-pere pertinere asserit D. D. Præfes, illam observationem, quod in Abortu, uti diximus, deinceps revertente, si quidem primâ vice legitimi *Fœtus* præsentia rectè dignosci potuit, altera aut ad summum tertia vice, vix par ratio expectanda sit; sed potius nihil, nisi *informe* quoddam *concrementum*, sanguineo magmate & coagulo suffarctum, omnis simulacri veri Fœtus expers.

Te-



Testatur D. D. Præses, quod hujus rei veritatem multis prorsus exemplis compererit, è quibus duo solum allegare placet. Uxor civis cujusdam, honeste quidem, sed cum labore opificii sui, vitam sustentantis, triginta circiter annorum Fœmina, petit consilium & auxilium adversus multiplices angustias præcordiorum, imo anxietates & intercurrentia tensiva abdominis tormenta. Ferebat autem præ se se ventrem ita prætumidum, ut vel gemellos gestare ex aspectu judicandum esset: sicuti re ipsa pro prægnante illam intuitus D. D. Præses, de hac constitutione & tempore forte propiore partus interrogabat. Ad quod illa collacrymans, se quidem ab hoc longe abesse respondebat, sed retinuisse hunc ventrem & gestare ab eo tempore, quo, plus jam annuo, gemellos masculos, manus circiter longitudine conspicuos, abortu amiserit: datis convenientibus remediis per quatuor dies usurpandis, emanavit, incerto tantisper effectu: post tertiam septimanam rediit, & retulit, se propter impetratam pathematum suorum placationem, nihil amplius remedium hæcenus petere necesse habuisse: Cum autem illa jam recrudescant, auxilium iterum rogare. Dato iterum efficaci remedio, post alterum diem peperit *concrementum*, caput robusti Fœtus æquans, *membranaceum & fungosum*; & continuato medicamento usu rectissime expurgata, matrice, venter in solidum subsedit, & fœmina paucis post tempore recte imprægnata, feliciter gestavit & peperit, nisi quod post partum largiore hæmorrhagia in lipothymiam prolapsa, eodem tamen remedio, sed divina præcipue gratia, iterum liberata, sana postea vixit.

Alia honesta Fœmina, annis adhuc florens, & alterius jam infantis mater, cum tertia vice imprægnata esset, *Abortum*, incertum qua occasione, patitur. Cum in & ab ipso abortu graviter periclitaretur, tam hæmorrhagia, quam alia debilitate, sub consilio licet & auxilio Medico, retinuit, 1) *Inflationem ventris præturgidam*: 2) *multiplex, imo propemodum perenne, copiosum*



*piofum*, aut si aliquando intermitteret, recrudescens *impetuosum*, sanguinis *profluvium* : 3) varios *in ventre dolores*, pressiones, ardores, palpitationes, volutationes, angustias, anxietates; imo, si in alterutrum latus recumberet, sensum ponderosioris cujusdam decubitus in idem latus in hypogastrica regione. Hæc durabant omnia atque singula *ultra integrum annum*; ubi consilium petens, ad quæstionem de perennitate harum rerum, speciatim autem *inflationis* ventris, prope maturam partui graviditatem representantis, respondit, omnia & singula hæc, toto hæc elapso anno jugiter ita perstitisse: ventrem autem aliquando quidem magis *tensum* atque *durum* & ad sensum magis quoque *autum* apparere: aliquando autem tractabiliorem, & pressioni quadantenus obedientem, sentiri: mensuram tamen, quam eo tempore exhibebat tanquam justæ graviditatis, nunquam hæcenus defecisse, aut ad *vacua* constitutionis subsidentiam, ullo modo appropinquasse. Fluebat autem ipsi maxime eo tempore *sanguis copiose*, ita ut vix in publicum prodire fatis auderet; *Palpitationibus* autem illis seducta, dubitabat, an non forte revera graviditas aliqua subesset, imprimis cum etiam Medici & Medicæ, nihil definire circa hoc dubium, intermedio hoc tempore confisi essent; ipsa vero quam maxime optaret, ut prægnans utique esset, tum amore prolis, tum quod spei indulgeret, fore ita, ut universus ejus status hac ratione, non sit ita absolute p. n., adeoque quovis intuitu periculosior.

Obliti sumus commemorare, quod etiam pedes & crura, sed tamen adhuc levius, & cum discussione per nocturnam quietem & calorem, *intumuerint*.

Proponebatur itaque huic Patienti usus remedii in hoc genere, sub divina benedictione, fidi atque experti; à cujus usu nihil haberet metuendum, si vel maxime prægnans esset, quæ tamen opinio ipsi statim dissuadebatur. Simul atque primam dosin assumerat, desinebat eo ipso die Flu-

XUS



xus sanguinis: Continuatō per sequentes dies usu, evanescebant non solum angustia & anxietates symptomata: sed intra ostiduum *subsederat* univēsa abdominis *inflatio*, ut non remaneret p. n. constitutio, præter *duritiem* quandam in infimo abdomine, undique flaccido, & suppressio, percipiendam. Exegit ita tres septimanas; in quarum fine sanguis iterum emicuit; repetito medicamenti usu, continuavit modicè profluere, quarto vero die mane, corripuerunt illam, veri dolores ad partum: & peperit *moleculam*, *membranaceo* involucro molli inclusam, intus etiam folliculis veluti discretam, sed solo *grumoso sanguine* suffarctam, mure mediocri non majorem. Continuatō per 10. circiter dies usu medicamenti, sub redeunte post hac mensium fluxu repetito, mox postea recte concepit, gestavit, & peperit etiam feliciter infantem sanum.

Imo in illo jam supra allegato Illustr. Matronæ abortu aliquoties deinceps recurrente, non nisi prima vice, aliquid *verò Conceptui* respondens, dignoscere integrum erat.

Sub ipsa Exclusionē Abortus, illud maxime solenne est, ut partim dolores, seu *spasmi uteri*, contingant leviores, obsecurores, imo segniores; partim *Fluxus sanguinis*, præ vero partu, longe intemperantior. Fere autem tanto magis utrumque horum, quanto minor adhuc est Foetus.

Magis autem etiam, corpore atque animo, *torpidiores* observantur *aborrientes*, quam *parientes*, ita ut revera, vel ad ipsas usque Lipothymias magis propendeant; omnia verò hæc facilius iterum ad euphoriam revertuntur, mox post absolutam exclusionem, imprimis ipsa illa *hemorrhagiæ* abundantia.

Quando vero etiam ita *intempestivum* partum absolverunt, nisi sibi parcant, & satis circumspecte ut *puerperas* sese gerant, minime *minoribus* incommodis expositæ sunt; quamvis fere *paucioribus*, quam veræ puerperæ: imprimis autem, quæ jam alias infantes gestarunt; aut quæ falsos tales



conceptus tandem elidendos, tantisper gestaverunt. Ita, postremo loco commemorata honesta Fœmina, cum concrementum illud, post priorem abortum anno elapso tandem elisset, *quarto die* gravia flatulento-torminosa & suffocativa pathemata incurrit, cum repentina *lochia fluxus* imminutione, plenam suppressionem minitante; & hoc quidem ab esu improvido *placenta*, multo butyro, ut hic locorum pessimi moris est, pinguis atque concoctioni refragan-  
tis. Ubi profecto nihil adeo alienum sponte suspicans Medicus, in tam diuturna reliqua ultra integrum annum tolerata variorum gravium symptomatum syndrome, jam de profundioribus quibusdam causis sollicitus, cum patientem ipsam inviseret, placenta juxta lectum intuitu, & nata inde suspitione improvisi appetitus atque esus, facta interrogatione, minime diffidente Ægra, tanto facilius solo *digestivo* remedio, loco quorumlibet laboriosiorum consiliorum, incommodis his præsentissimè consulere potuit; quæ si ab alia causa forte deducenda fuissent, remediis aliis, si nihil amplius, certe facile *inutiliter*, tractari illam contigisset.

Tanto major autem necessitas in hoc casu subest, ut plenaria debita *expurgatio uteri*, plenum exitum fortiat, & ad finem perducatur; Alias enim justissimus semper manet metus ne damnum aliquod in futurum tempus sese extendens, inde remaneat, aut subnascatur. Absolvitur autem hoc negotium non nisi debito ac sufficiente, sive spontaneo Lochiorum fluxu; sive per medicamenta huic effectui verè atque efficaciter idonea: Et profecto si quid medicamentis ad hunc scopum veri atque certi impetrare est integrum, meretur illud omni modo huic casui, *abortui* inquam, adhiberi: sicut enim in vero *pariu*, spontanea lochiorum sufficiente expurgatione satis fieri solennissimum & quotidianum est, ut ibi medico auxilio nihil sit opus; ita plane contra se res habet cum *abortu*, quippe à quo, nisi per peritam etiam & efficacem medicationem subveniatur, longe familiarius  
mala



mala confectaria remanent, quam ut omnia recte in integrum restituantur.

Quando verò hoc ita debitè peractum est, tunc equidem nihil aliud superest, nisi ut etiam quando recte ad se rediit Fœmina, & sana rursus apparet, tum præliminariter præoccupetur, ne succedente novâ imprægnatione, simile infortunium ipsi iterum eveniat: Quin etiam sub ipso gestationis tempore, circa *mensēs* aut *septimanas*, quibus pristinum Abortum perpessa est, nulla *externa* occasio ipsi objiciatur, unde similis intempestiva atque violenta excussio denuò coariri possit. Si tamen sub priore illo Abortu omnia rectè, & imprimis sufficienter, in integrum restituta fuerunt, non superest locus ulli metui, ne hoc tempore aliquid novi incommodi oriatur.

CAP. II.

De Fœtus mortui Historia.

Quantumvis Fœtus cum involucris ad ipsum pertinentibus, strictè loquendo, mox à primo conceptûs in utero materno die, *vita* fruatur, nempe ab omni corruptione conservetur atque præservetur; crassior tamen consuetudo sensu & acceptione, tunc demum maximè dicitur & intelligitur *vivere*, quando jam *motus* humorum in proprio ejus corpore fieri, non solum conspici possunt, v. g. in *oviparis*; sed in *viviparis* denique, accedente insuper etiam locali corporis *motu*, tantò magis commodè sentiri incipit hoc, juxta crassissimam vulgarem acceptionem, *vita* ejus confectarium.

Sicut autem, ut rem paucis complectamur, circa totum negotium *vita*, nihil aliud quam generaliora & crassiora quædam vulgo nota & intellecta, & proinde usu etiam recepta sunt; ita imprimis in negotio pariter adedò crassæ acceptionis, quale est illud de *Fœtu mortuo*, sanè fuerit ἀκαίρον τὸ ἀπειθολογῆν; unde quidem suffecerit dixisse quod Fœtus intelligatur



tur *vivus*, receptâ loquendi ratione, non nisi ab illo maximè tempore, quo motibus sensibilibus sese jam manifestare incipit, nempe à medio maximè tempore *gestationis*.

Sicut itaque hoc imprimis intuitu, nempe ad receptum loquendi sensum de Fœtu *vivo*, aut amisâ iterum vitâ *mortuo*, loqui necesse habemus; ita *mortuum* etiam Fœtum illum præcipuè intelligimus, qui *ab hoc tempore* vitâ rursus excidit, & crassiore quidem *indicio*, tunc imprimis mortuus judicatur, quando amplius non *sentitur* ullo motu sese manifestare.

Fœtus itaque *mortui* exclusio, strictè ad receptum morem loquendo, circiter à mediò *gestationis* tempore usque ad ipsum non solum *tempus*, & *actum*, sed *effectum* omnino *partus* sese extendit. Ut videlicet non solum toto hoc intermedio tempore, Infans in utero *intermori* possit; sed etiam in ipso tandem *partus* labore, loco exclusionis sui vivi, ante absolutum hunc exitum in ipso adhuc utero, sub conaminibus illis atque moliminibus excludendi, intermoriatur, adeoque, ut loquuntur, in portu naufragium patiatur.

Habet verò etiam hæc acceptio aliqualem relationem ad usum historię partûs Fœtus mortui. Quandoquidem difficiliores circumstantiæ hujus negotii, reverà illo maximè casu graviores observantur atque sentiuntur, quando Fœtus vitâ, sub hac latiore ejus acceptione, jamjam percipienda, iterum excidit: Siquidem prioribus adhuc temporibus præque quidem amissionem vitæ ejus, strictius dictæ, infrequentia *Symptomata*, longè minora communiter observantur.

Ut autem negotium etiam solum historicè justâ serie evolvi possit, instruemus ejus enarrationem secundum tres illas præcipuas circumstantias, 1) quomodo imprimis malum hoc observetur *occasionem* & *ortum* nancisci; 2) quomodo colligi possit, è *signis* certioribus, quod mors hæc evenerit: 3) Quasnam difficultates circa *exclusionem* ejus succedere contingat.

Quod



Quod itaque primum attinet, remotiores equidem Cau-  
sæ evidentiores observantur, sive *ingens* Fœminæ prægnantis  
*Plethora*; sive *animi* ejusdem *ingens sensibilitas*, ad *iracundi-*  
*am*, aut *ærorem* atque *terrorem* disposita: sive reliqua etiam  
*morbida imbecillitas*: sive tandem in ipso demum *partu* male  
succedentes, & male administrati ita dicti dolores: ubi quidem  
imprimis justò diutior strictura Fœtus in utero, non subse-  
quente ipso tempestivo exitu, liberum successum motus san-  
guinis in Fœtu sufflaminare apta, huic effectui evidentem an-  
sam præbere potest, quin etiam solet. Phantasticas etiam oc-  
casiones, ab *imaginatione matris*, aut *impressionibus* undecun-  
que tandem incussis, plurimum hic posse, varia monstrant  
exempla.

Alterum quod attinet, illas nempe circumstantias, quæ  
*mortuo* in utero Fœtu sese exserunt, differunt hæc gradu, pro-  
ut infans jam *perfectior*, & ipsi partui legitimo maturior, vel è  
contra adhuc admodum *tenerior* est; prout etiam hæc Fœtus  
*mors*, vel diuturniorem aliquem *matris atque Fœtus* langvorem  
secuta est; vel *vegetiori* etiam Fœtui, velut ex insperato simul  
& semel accidit & evenit.

Prioribus casibus, *langvor* magis, & *virium* aliqua deje-  
ctio in matre; *horridula* etiam, volaticis *ardoribus*, *capitis* dolo-  
ribus, *angustiis* præcordiorum & animi, *appetitus* vitiiis, *vertigi-*  
*nos* perturbationibus, colludens *ara*, *gæla*, *mammarum* Flacci-  
ditas, *Lactis* in illis tenuioris sensibilis præsentia, nullus ampli-  
us motus Fœtus: *ventris* ad ingvina veluti *delabentis*, & cum  
flacciditate quadam ita quasi *pendentis*, insolitum onus: ante  
omnia *sensibile illius regionis frigus*: in tenerioribus autem om-  
nia hæc & graviora, & breviori tempore increbescencia,  
imò subinde ad lipothymiam usque Fœminam deducencia,  
cum vario interim, nempe vago, *coloris* & *caloris*, statu.

Posteriore casu, nempe ubi Fœtus admodum *grandis*, re-  
pentè interit, imprimis autem *sub ipso partu*, *inborrescit* Fœ-  
mina, ut etiam *febrili frigore* & *horrore* correpta videatur;



res corporis, imò & animi, fatiscunt velut in momenta: succedunt *anxietates, vertigines, lipothymia*, dolores ad partum *rari, debiles, breves* revertuntur, imò vel plane evanescunt. Imprimis autem *refrigescit* communiter magnoperè regio *infima abdominis* supra pubem, & nullus amplius sensus cujuscunque *motus* Fœtus percipitur: imo verò magis magisque non corpore solum, sed omnino animo langvefcens Fœmina, *sua* quoque *mortis* subinde metum, non nimium rarò etiam eventum, sãbit.

Tertium respectum, superius à nobis allegatum, quod attinet, quomodo videlicet Fœtus mortuus *ad partum* sese habere soleat, fit illud, quod modo diximus, ut *mortui Foetus* exclusio, tam generali magis matris *debilitatione*, quam speciali *dolorum*, nempe spasmorum debitorum cessatione, aut ad minimum, & longe *rariore*, quam conveniebat, & longe *debiliore* recurfu, difficillime succedat atque exeat.

### CAP. III.

## Pathologica quædam circa Abortum & Fœtum mortuum.

**N**ecessaria quidem ubilibet est distinctio, diversorum respectuum & successuum unius ejusdemque rei, ne temere implicatio locum inveniat; interim profecto in *Medicis* atque *Physicis* rebus, tanto magis necessaria hæc est circumspectio, quo difficilior est *Physicorum* respectuum evidens enucleatio; & simul remotio ab usu *Medico*, & à *Medicæ* theoriæ qualibet necessitate.

Luculentum hujus generis exemplum præbet nobis negotium *Generationis hominis*. Circa quam profecto ita in solidum nihil verum atque certum deprehendere valuit, in hunc usque diem, Philosophia, ut nulla pars totius hujus rei quicquam certum atque fidum præ sese ferat, quin alienis



nis non tantum opinionibus, sed plane experimentis jaetatis in extrema penitus, nempe opposita, diripiatur.

Si de *materia* loquentes audias, veteres *semen masculinum*, apospasmatibus à *singulis paterni corporis partibus desumptis*, quasi *singularum partium seminis*, constans, pro *materia* constituunt; cui *mater* nihil, nisi *nutrimentum*, nempe sanguinem menstruum, crassiore conceptu subministret. E Recentioribus diligentissimus *Malpighius*, lineamentum ali-quod in *ovis* gallinaceis conspiciens, è quo prima pulli fun-damenta, nempe *Cerebrum*, & *spinalem medullam* efformari a-nimadvertit; hoc ipsum autem rudimentum etiam in *ovis subventaneis*, nempe sine masculi ullo commercio, (quod in gallinis vulgaribus, præ aliis avium generibus, familiariter fit,) editis, pari ratione præsens deprehendens: permotus hinc est statuere, quod *Femina materiale* rudimentum pro formatione corporis suppeditet, masculus autem solum *spirituosum* quasi quiddam *orgastico-vivificum*, conferat, quo ma-teria illa velut in actum deducatur. Diversa omnia iterum vidit *Lewen boock*; in *masculino* semine potius vivide mobilia quædam corpuscula indicans, è quibus *corpus* produci verifi-mile arbitratur. Cui rei ut absolute prospiciat *Dalempa-tius*, præfert ejusmodi observationem seu avtopsiam, qua etiam *tofo corpore jam distinctum* homuncionem, imo nume-rum aliquem talium, in *spermate* masculino vidisse depingit. At *Sturmius* hic penitus in diversum abit, verisimilius repu-tans, quod aër & aqua, *homunculis* invisibiliter quidem par-vis, sed tamen penitus jam efformatis, æque ac omnium specierum animantium similibus corporibus, scateant; quo-rum tandem unus in porulo testis mulieris, per viri coha-bitationem ad hanc capturam disposito seu conformato, ir-retitus, irruptione alimentaris substantiæ in majorem molem sufferciat. Videre est puto ex his, quid sit & possit Phi-losophia!

Sicut autem adhuc insolidum deficit omnis circa ma-  
C
teriam



zeriam ipsam Foetus formandi scientia; ita cui cordi fuerit inquirere in partem *activam* ejus, illi integrum erit tempus suum addicere lectioni sententiarum, circa hoc negotium variantium, & invigilare harum crebris mutationibus, vel, ut vulgo loquuntur, *ulterioribus explanationibus* pristinæ suæ mentis: inveniet quod agat, si non *orationem*, sed *rationem* ibi quærat. His si tandem addiderit disceptationes de *anima rationalis*, juxta alios *creatione*; de momento *infusionis* ejusdem, atque modo: vel assertionem propagationis *per traductionem*: ille quidem hanc philosophiam completam habebit: si tamen prius recte intellexerit, quod *animæ rationalis*, ut *immaterialis*, *in corpore* quidem esse possit, (non tamen ut *in loco*, sed absolute ut in  $\pi\bar{s}$ ) interim nec *in corpore*, nec *in corpore* aliquid agere possit, quia *immaterialis cum materiali non potest habere contactum*. Interim excipiendo hic iterum, & his animæ necessitatibus subordinando *Spiritus*; quibus vel ab illo *canone* de materialis & immaterialis nullo contactu exceptio est; vel ne hic etiam difficultas temere urgeat, intelligere licebit, quod majoris commoditatis causa *Spiritus* hos neque materialis, nec immaterialis naturæ esse conveniat. Etc.

Per nos quidem cuilibet liberrimum erit, hæc pro subito suo ad negotium generationis applicare, dicere, imo iterum aliter, quin vel in eadem pagina, jam verbis, jam rebus, sibi contradicere: Nos, antequam ejusmodi res ita firmiter & constanter, sine ulla reservatione futuræ *mutationis sententia* suæ (*imprimis circa res longe simplicissimas*, & nulla una operosa, *nedum repetitis*, cogitationibus, *indigentibus*) planissimis illis, quas alias *scholarum* primitias esse notum est, *positionibus*, *subsumtionibus*, *conclusionibus*, propositæ, ex se mutuo deductæ, rerum probabilitate aut necessitate *a priori* aut *posteriori* explicatæ, & vera, simplici demonstratione connexionis eventuum ad causas, quarum effectus esse intelligi debeant, tandem *stabilitæ* fuerint, excusabimur, quod illis ani-

mum



num submittere negligamus; & tantisper in asseveratione nostra maneamus, quod illa quæcunque huc usque de his materiis dicta sunt, ad quemcunque intellectum ejus, quod jam præ manibus habemus, negotii absolutissime nihil conferant.

Potius itaque ad facta ipsa magis respiciendo, illas causas perlustrabimus, quæ ut alias solenniore efficaciam in *Fœtus vitam* violanda & *exclusionem* ipsius ex utero provocanda, exferere observantur, ita pressius ad negotium nostrum, facere quoquo modo comparent.

Sunt autem hæc vel magis *vitalis*, vel *pathetico - rationalis* census. *Vitales*, vel *directè* quasi & *immediatè* tales, vel *mediatè* per corporis locales *motus*, & *sensus*: *motus* quidem jam *voluntarios* immoderatiores, jam *violentos*.

*Vitales* motus, qui morti *Fœtus* evidentius ansam præbere possunt, sunt ante omnia *materia nutritia*, & *motus* ejus *placidi* vitia. Quando videlicet per *morbos* *Fœminæ* prægnantis, & *appetitus*, & *concoctio* graviter labefactantur; adeoque ipsius *materiæ nutritiæ* proventus justus deficit: ut adeo corpus *Fœtus* non amplius commode & sufficienter, *nutrimento* necessario instrui possit. Unde quidem hujusmodi *morbis* graviter correptæ *Fœminæ*, quæ dicta hæc incommoda solennius inferant, periculum *Abortus* & *mortis Fœtus* sui præ aliis incurrunt.

Quamlibet enim quam maximè verum sit, quod ingens differentia intercedat inter *vitam* absolutè atque strictè sumtam, & *nutritionem* ac augmentum corporis; exemplo *Infantum* jam ad *puerilem ætatem* succrescentium, qui non raro per aliquot etiam annos, in *augmento* corporis sui adeo parum proficiunt, ut etiam *desicere* penitus in hac parte videantur; cum tamen *vita* interim utique absolute ipsis dureret acperennet: Revera tamen in *Fœtu* adhuc minore, imo minimo, proportio huius rei longe brevior; periodo circumscripta esse videtur; Sicuti manifestum etiam est, quod



ipsum *incrementum* corporis Fœtus, in utero, intra breve tempus longè magis insigne fieri debeat, quam *extra* uterum. Imo cum *vita corpore* quali *posterior* intelligenda sit, dum nempe *corpus* demum *vita* servari, seu vivum esse debet: tantò magis certè *corpori fabricando* materia sufficiens suppeditanda erit, nisi *vitam* illi, ad perfectionem ulteriorem, promoveri inepto, negari seu subtrahi velimus.

Et hanc quidem causam esse arbitramur, cur non adeo citissimè neque promptissimè atque communissimè, Gravidis etiam valdè parum nutritis, nihilominus, non ita absolutè promptissimè *Abortus* statim eveniat; sed non rarò admirationem mereatur, quomodo sub tam parçà illarum manducatione, nihilominus Fœtum vitalem retineant: Quamvis etiam exempla hujus generis non desint admodum frequentissima, quod utique in tali casu Fœtus etiam parciùs nutriti, valdè tennes tandem atque debiles, prodeant.

Ita etiam quod *directionem* copiosiore materix nutritix, ad uterum Fœminæ prægnantis, concernit, ne quid de illà re conceptui simplici difficilior & impeditior offeramus, allegamus solum illam Fœminis vulgo familiariter notam observationem, quod illæ Fœminæ, quæ gestationis suæ tempore, suo reliquo toto corpore plus solito nutriuntur & habitiores fiunt, infantes excludere soleant longè *tenuiores*, & minus benè nutritos; quam aliæ, quæ sub gestationis tempore potius habitu nonnihil deficere videntur, quàm augeri: Imò quotidiana sunt exempla unius ejusdemque Fœminæ, quæ alio quidem tempore sub gestatione magis extenuata, aut certe nihil aucta, non solum bene perfectum, sed robustum penitus infantem edidit, proximo altero tempore verò, augefcente suo ipsius corpore aridum atque tenuem infantem peperit.

Hæ sunt illæ causæ, è *Vitalis* negotii, in ipsa matre, perturbationibus & defectibus, quæ *vite* Fœtus præjudicium afferre possunt. *Animales* Actus quod attinet, non ita rara sunt  
exem-



exempla, ubi à nimis vehementibus corporis motibus, jam in *Plethorico* statu sanguinem nimis impetuose turgeficientibus, aut *vires* etiam simul & semel enormiter deicientibus, *Abortus* secutus sit.

Tantò magis autem à *violenti* gravidæ *Fœminæ lapsibus*, *Lumborum*, aut ipsius ventris, violentis *allisionibus* atque *concussionibus*, *Fœtui mortem*, & *Abortum* evenire, & rationi & experientię consentaneum est.

*Animi Pathemata* graviora, *iracundia* quidem vehemens, sed *suppressa* tamen, uti solet, quod in objectum suum directum exsequi non licet, in aliud, etiam domesticum, tentare atque experiri; notissimâ illâ intemperantioris iracundiæ vicariâ vindictâ, den *Zorn an einem andern/der ihm unter die Hânne de kommt / ausgelassen*: ita hic etiam, dum malitiam animi in altero experiri atque fatiare non licet, in *domestico* suo onere illam in effectum deducere satagit.

*Terror* autem, sicut aliàs vel proprio corpori justum vitalem influxum atque motum subtrahit, *Lipothymias* imò *Syncope*, mortis analogas, admittendo: ita cum animi *Pathematum communicationem* ferè magis quam *communicationem*, potentissimè in *Embryonem* operari, certissimum sit: & ex *imaginationis* maternæ quasi miraculosâ efficaciam notissimum: quomodo è gravissimo *matris Terrore*, *Embryoni* tali *Syncope* etiam lethalis incuti possit, ratione facti ipsius, seu quod ita fieri possit, (licet quomodo fiat, ignotum sit) nihil à reliqua probabilitate ablu- dit.

Sicut autem hæc à priori ita fieri posse, ratio generaliiori experientię innixa, perfvadet; ita tantò magis confirmat idem, *specialis* experientia a posteriori, quod, inquam, hæc ipso facto verè sic eveniant: nempè ab hujusmodi *pathematum* speciebus, hæc species *mortis* *Fœtus* & *Abortus* faciliè consequi indies observentur.

In ultiores harum causarum agendi modos excurrere, à *Medica* Theoriâ alienum est; illud tamen non dubitamus ad-



adhuc adjungere, quod *in signis abundantia* plethorica, etiam *levioribus* aliis commotionibus facile tanto majus pondus addere possit, dum hac ratione facilius *provocatio* Naturæ contingit, ad consuetam evacuationem per *uterum* tentandam: cum interim hæc sine gravissimo, & vix non certo, *periculo Fatus*, suscipi non possit.

Licet enim non planè defint ejusmodi observationes, qualem in honestâ Fœminâ hujus loci habuit ipse D. D. Præses, quod etiam *sub verâ impregnatione*, *Sanguis è genitalibus profluere* possit; quandoquidem nominatæ huic Patienti, copiosè quoque, & modo non jugiter, à dimidio tempore *gestationis*, usque ad ipsum *Partum*, *assatim* fluxit; Securo nihilominus, & justæ *maturitatis*, & *vivace* satis Fœtu: certè, tamen ita familiares, & quotidie obviæ observationes tales nequam sunt: ut non potius, penitus *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, excretionis talis in prægnantibus obtingentia *molimina*, exitum Fœtui atque partui *funestum*, non magis portendant, quam afferant.

Interim, quod superius etiam monuisse meminimus, hæc quidem à *plethora* periclitatio, revera familiarius *primis & mediis*, quam *ulterioribus* gestationis mensibus, præcipuum negotium facessit.

De *violentiorum* motuum generibus & efficacia, non placet neque *Hippocratis* Fidicinam saltatricem allegare; nec immanitatem *barbararum* recensere, quæ *conculcatione* abdominis gravidarum, Abortum urgere memorantur: Enimvero apta esse talia machinamenta ad tales effectus, nulla prolixiore deductione indigere putamus.

Non tam inanium speculationum gratia, *quomodo & quatenus* talia fieri possint, sed nudæ historicae relationis nomine, placet adponere factum, quod hic loci à viro & Familia honesta memoratum sibi meminit D. D. Præses. *Honestâ Fœmina* prægnans, posterioribus graviditatis suæ mensibus variis incommodis circa ventrem affecta, sub *justum* quidem



quidem *tempus Partus*, corripitur doloribus, sed irritis, & optato effectu non potentibus, donec & ipsa *viribus & infans vita* destitueretur, & hic quidem in frustra dissectus à matre separandus esset. Fit illa denuo prægnaus, eodem successu, & lugubri eventu. Dum Maritus ejus, occasione ferente, infortunium hoc alicubi commemorat, recenset præsentium, quidam casum, qui Fœminæ de suâ affinitate obtigerit; quod videlicet illa pariter repetitos infelices mortuorum Fœtum partus passa sit, cui denique nescio quis hariolus, indicaverit, quod causa hujus mali sit *fascinum* quoddam, eique perfsaverit, ut *sub ostii conclavis sui limine* quæri jubeat, quid sub sit: quo sublato, inventa sint *ossicula infantilia*. Hæc commemoratio, cum etiam recentis infelicis puerperæ marito scrupulum iniecisset, ille domum reversus, limen etiam conclavis, in quo habitabant, sustollere faciens, repererit ibidem pariter talia *de infantis sceleto ossa*. De reliquo vero, casus talis etiam D. D. Præsidi notus est, quod Fœmina tribus deinceps puerperiis, quamvis ad justum terminum Infantem gestavisset, illum vivum parere non potuerit, sed ultra diem naturalem cum partu colluctans, tandem è solitis signis *mortuo* judicato *Fœtu*, *extractionem* ejus, *laboriosam & periculosam* tolerare, necesse habuerit: donec tandem, cum iterum imprægnatæ, justo tempore partus instaret, ex ædibus suis (quas à vetula quadam debitis Fisco obnoxia emerat, & cum in fraudem Fisci cum ipsa consentire recufaret, sub magna hujus indignatione, imo manifestis minis, possidebat) in alias deportaretur: ubi intra trium circiter horarum spacium sanum vegetum infantem peperit, qui etiam prospere adolevit.

Cæterum autem eousque extendere superstitiones, vel etiam magneticarum virium fidem, ut cum ejusmodi rerum nimis admiratoribus etiam credi debeat, quasi quidlibet homini sensibiliori alias timeri solitum, tam potentem impressionem in vitam embryonis facere possit, nemini consenseri-

mus.



mus. Unde quidem quæ inter priscos quosdam historiolarum talium Compilatores enarrantur, quomodo v. g. Mulier, quæ vivum aut mortuum *serpentem* calcaverit, aut transcenderit, *Abortum* hinc incurrat, aut *mortem Fœtus &c.* Talia, inquam, pro certis habere, nemini svaserimus.

*Medicamenca* verò *fortiora*, Fœtui in utero contento, multum negotii, imò damni faceffere posse, neque ratio, nec experientia dubium sinunt. Unde quidem vulgo infamia sunt *fortiora purgantia*, *fortiora vomitoria*, imò quælibet alia *vegetius alterantia*. Et quamvis experientia non refragetur, quod etiam *purgantia*, tantò magis autem spontanæ *Diarrhææ*, imò *Dysenteria*, subinde sine Fœtus periculo, Foeminam gravidam satis exercuerint: aliud tamen certè negotium est, quando evacuationes tales magis *irritatione* *circà ipsas primas vias*, aut directo quodam motu materiæ è corpore materno ad primas vias, ortum traxerunt; quàm quando ex adverso, potius à substantia certorum purgantium, in humores, matris profundè sese diffundente, & humores fundente, & pervertente, oriuntur; adeoque etiam ad Fœtum, cum Lymphâ materna, penetrando, tenerrimo hujus humorum systemati atque crasi, vehementem alterationem inducunt, quâ placidissima illa motuum vitalium in Fœtu œconomia, gravius perturbetur.

Quo intuitu certè *Hippocratis* imprimis dehortationes, *circà Venæsectionis & Purgationis noxas in Gravidis*, facile intelligi poterunt; si nempè meminerimus, quod & VStio ævi *Hippocratici* non intra illas *duas vel tres uncias* hodierni moris, subfiterit: sed longè largior fuerit; & pharmacum catharticum eminens ac veluti princeps fuerit *Helleborus*: cujus quidem *vehementissimam* efficaciam in tam sensibili Fœtûs atque matris, *propriâ & socia*, constitutione, quilibet facile intellexerit, securam esse non posse.

Nescio vero qua autoritate alicubi niti dicam Autorem, qui esum *amygdalarum amararum* embyoni periculum creare, innu-



innuere non dubitat. De *experimento* quidem nihil nobis constat; arbitramur autem, *opinionem* magis esse fundatam super illo *experimento*, quod *amygdale amara*, plerisque *animantibus*, præter hominem, vitam eripiant: ut adeo *embryo*, (præsertim juxta *opinionem* de *creatione & infusione animæ rationalis*,) adhuc nude *vitalis*, & ut loqui solent *vegetabilis*, tali tempore eandem cum animalibus *irrationalibus* dictis, fortunam experiri, necesse habeat. Ubi obiter monere placet, quod etiam *Ammannus in Manud. ad Mater. Med.* dum usum *Nucis Vomicae* serio abhorret, *argumento* deleteriæ ejus efficaciam efficaciam in variis brutis, non satis attendisse appareat, secundum omnes homines, hucusque innoxium esum vel usum *amygdalarum amararum* in corpore humano: quæ tamen, vi hujus *argumenti*, quod hoc loco unice proponit, & judicium suum, imo condemnationem *Nucis Vomicae*, illi superfruit, parem utique condemnationem incurrere deberent. Cæterum quid de *Abatoda Ceylonensium*, *Ecbolio* proinde dicto nostratibus, referant Historici harum regionum & rerum, notum quidem est; sed cum circa *vitam* atque *vegetum*, Fœtum, & recte procedentem gestationem, *experimentum* sine flagitio fieri non possit; relinquenda hinc potius Historicis est fides sua, quam decisioni nefario modo atque medio indulgendum: nisi quidem forte in brutis aliquid tentare liceret, à quibus tamen ad hominem, indubitam & constantem reciprocam subsumtionem locum non habere, vel modo allegata demonstrant:

Per indirectum autem etiam *Emmenagoga* fortiora, congestione, imo compressione sanguinis versus uterum, inducta, oppressioni placidæ circulationis sanguinis in Fœtu obicem objicere posse, ipsa ratio dicit: tanto magis autem occasionem ad minimum præbere posse, etiam *spasticis uterij* motibus, excussionem Fœtus post se trahentibus, eadem utique ratio dubitare non finit.

Pertinent ad hanc classẽ, eorum quæ *parbetico-spasti-*

D

ca





ea efficacia abortui occasionem præbere possunt, *nidores foedi*, imprimis pinguum accenforum, ut in specie *sebaceorum* & *Nychniorum*. Tandem etiam *abusum venereum* Gravidis aliquando damna talia inferre, non leves subinde suspiciones innuunt.

Dicendum aliquid est de causa *difficilioris*, imo subinde *difficillimi partus*, quando *Fætus* est *mortuus*. Non placet tamen prolixum hic esse, sed potius breviter effari, quid nobis videatur. Fætum ex utero exprimi *motibus* uteri spasticis, vix quenquam dubitare putamus. Hos autem *motus*, à principio illo *movente* in corpore dirigi atque instrui *efficienter*, pariter neminem dubitare confidimus, qui seriem *causandi*, & *indolem instrumentalem* tantum, & spirituum *suppositorum*, distinguere intellexerit. *Agens* illud, quod *VITAM* per *motus* agit atque præstat, & illud ipsum *indefinite* atque adeo quam maxime *vigilantissima* continuatione & proportionem perpetrat, *MORTEM* actuale, tanquam totius sui finis verum *oppositum*, non potest non *intueri*, si quidem *considerandi* sit *compos*: fin hoc ipsi negetur, negari tamen non potest, quod *corporis* mortui & vivi, inter se adhuc *communicatione corporali* connexorum, ita *opposita* sit constitutio, ut etiam *a priori* probabilissimum sit, quod vel *materialiter*, *mortuum vivo* impedimenta aliqua, imo inquinamenta, affricare valeat: Sicut à *posteriori*, tum de *spaculo* notissimum est, quod particula *emortua*, mox longe lateque *sensu*, *motu*, *insluxu vitali*, *calore*, *colore*, etiam vividas partes privet: Tum in ipso hoc casu *Fætus mortui*, & *corpus* inhorrescit, & *animus* angitur & ipse *venter* circa contentum Fætum mortuum, torpescit atque frigescit.

Maxime vero omnium clarius reddit totum negotium, debita animi adversio ad veras illas *circumstantias*, secundum quas proprie partus mortui Fætus *difficilis* redditur. Sunt autem hæc ante omnia *defectus* & *cessatio dolorum*, i. e. *spasmodorum* ad partum: aut ad minimum, tanta illorum *imminutio*

ut



ut tum *leviores* & velut evanidi, tum *variores* succedant; revera vero sensim plane *deficiant*: *Virium* puerperæ *corporis*, imo vero *animi* præcipites defectus: anxietates magis, quam angustia corporis. Et, quod quidem maximopere notandum venit, hæc omnia tanto certius atque fortius, in *Fœminis* *speculabunda* magis, *meticulose*, breviter *activioris* *ratiocinantis* indolis, quam in aliis, quæ *stupidiore*s sunt.

Ex omnibus his circumstantiis causam illam elicimus, quod per præsentiam corporis *mortui*, spasmus illi debiti, tanquam *Vitalis Tonici* motus soboles, *motus* inquam *vitales*, imprimis *fortiores*, desinant, ut loquuntur, influere, i. e. administrari atque dirigi in illam partem; in qua aliquid *Vitæ oppositum*, i. e. *mortuum*, delitescit. Ut adeo destitutus *motibus* debitis Uterus, non possit excludere contentum *Fœtum*, quandoquidem exclusio hæc nihil nisi *motus* esse poterat ac debebat.

Neque sane nostrâ, ut Medicorum, magnopere interest in has causas *altius* evagari; aut in rationem reddendam diffundi, cur positivè *principium* illud *motuum*, *motus* *vitales* circa *rem mortuam* persequi recuset? an *physica* magis, an vero *pathetica* subsit causa: Certe vero, si maxime omnes circumstantiæ conjungantur, & modo non confuse ac *ἀλόγως*, comparentur, non minore probabilitate pollere apparebit, *nexus patheticus*, quam *physicus*.

Sicut etiam revera iisdem difficultatibus impeditus erit *nexus physicus*, si demonstrari debeat de tanta periclitatione *vite maternæ*, tam in reliquo nimium laborioso, quam imprimis *Fœtus mortui*, partu. Certe enim *effluvia* morticina & putredinosa, non facile fatiabunt, nisi plane obesæ naris ætiologum: Imprimis, si etiam illud consideraverit, quotidianæ observationis experimentum, quod homines paulo *meticulosiores*, in tollendis ac portandis *cadaveribus*, tantum defectum virium suarum experiantur, ut minime pro *vera mole* seu *pondere* cadaveris, sed longe supra, *gravitatem* illius æsti-



ment: & illud laboriosius tractent, non quod revera à *posteriore* pondus viribus ipsorum negotium faceffat; sed à *priori* deficientes vires, i. e. *tergiversatio* vegeti influxus motus, majoris ponderis opinionem illis persuadeat. Sed sufficiant hæc.

CAP. IV.

Quædam ad Prognosin circa Abortum & Fœtum mortuum pertinentia.

**Q**uotumvis dubitari posset, an etiam circa Abortum & Fœtum mortuum *prognosi* aliquis sit locus, asserimus tamen, quod omnimodo certis respectibus circa *Abortum* æque ac *Fœtum mortuum* aliquid *predicci* possit; imo aliquid *in futurum præcaveri* ita necesse sit, ut nisi hoc recte perpetretur, tanto certior *predicctio* ulterioris *sinistri* successus, certiozem locum habeat. Ita enim *Abortus* certe nimis quam veraci communiter præfagio prædicci potest illis *junioribus*, *primiparis* imprimis, quæ evidente *Plerborn* affectæ, insuper *vite genus* jam *corporis*, jam animi commotionibus importunioribus expositum, degunt. Imprimis autem si alioquin *largiores excretiones* menstruas experiri consueverint; *Dietæ* vinosæ aut *aromaticæ*, minus antea solitæ, admoveantur.

Tantò magis autem in *futuros* successus malum *præfagium* meretur *Abortus*, dum experientia quidem monet, ratio verò docet, quod unus *Abortus* familiariter post se trahat alterum; Tantò magis autem atque certius secundum tertium, & tertium quartum, subsequatur.

Quando verò *Abortus* Fœtum jam *adultiorum* eveniunt ibi quidem *prognosis* eò inclinare, suadente experientia, debet, quod facile evenire possit, ut Fœmina imposterum *sterilesca*



lescat, & vitalibus Fœtibus non solum gestandis, sed omnino concipiendis impar evadat.

Quemadmodum autem hæ prognoses velut eminus magis circa *Abortum* occupatæ sunt, ita consideranda venit alia adhuc prognoseos species, circà ipsum *infantem Abortum*, an videlicet apparentibus præcipuis quibusdam signis, *Abortus*, ita certò expectari debeat, ut etiam, ad evitanda alia adhuc, graviora impendentia præsentissima pericula, *promoveri* potius debeat, quam otiosè expectari.

Certè enim non ita, uti vulgò fit, silentio prætereunda atque negligenda venit illa circumstantia, *abortui* ita familiarissima, ut vel inseparabilis dici mereatur, quoties ille impeditus succedit, *ingens* nempe *sanguinis profusio*, sub *languidissimis*, & velut in momenta magis *fatiscentibus*, plenariæ exclusionis *conatibus*: Unde mater in *lipothymias*, & præsentissimam vitæ periclitationem, quasi præceps labitur: Cum tamen, quando tandem exclusus est *Abortus*, nimis illæ *profusiones* longè certius atque citius moderamen admittant, quam ante hanc exclusionem ullo modo sperare sit integrum. Ut videlicet hac ratione si Medicus certior esse possit, quod hic Fœtus *non possit conservari*, sed omni modo per *Abortum* debeat excludi, dato tempestive ad ejus excussionem subsidio, omnia hæc incommoda & pericula, quæ à negligente & otiosa spontanei eventus expectatione impendebant, efficaciter præoccupare possit.

Casus, quem D. D. Præses in sua præxi præ manibus habuit, est sequens. Illustr. quædam Matrona, staturæ atque texturæ corporis teneræ, plethorica, & floridæ adhuc, forte 27. annorum ætatis, jam diversis vicibus *Abortum* experta, intercurrente tamen etiam semel iterum que verâ conceptione, corripitur tandem iterum *Abortu*, ita, ut *duodecima septimana* posteaquam menses emanferant, & venter ad sensum augescere cœperat, sentiret eruptionem sanguinis lenissimam, sine ullo alio cujuslibet symptomatis sensu. Manabat fluxus



hic moderatissimus, consvetorum catameniorum more, per sex totos dies & noctes. *Septimo die* erumpebat *largus sanguinis fluxus*, cum animi & præcordiorum angustia, & obscuris quibusdam pathematibus in inferiore ventre: continuabant hæc, & imprimis largus iste fluxus, per duas & dimidiam horam, ubi tandem excludebatur molecula, mediocre ovum gallinaceum æquans, rupta tamen, & intus adeo vacua: carnosomembranaceæ texturæ. *Patiens* debite refocillata atque restaurata, intra dies haud ita multos non solum ita satis ad se reversa est, sed concepit etiam iterum paucis abhinc septimanis, ut nempe menses iterum subsisterent, venter leviter induresceret, imò tandem leviter auferet; illud tamen, è quo malum prælagium sibi formabant aia, quibus indoles hujus *Patientis* alias bene cognita fuerat, erat præcipue, quod nulla ciborum nausea, imo ne quidem appetitus quocunque vitio laboraret, quibus rebus sub reliquâ verâ imprægnatione admodum obnoxia fuerat. Quid multis, *duodecima septimana* sanguis iterum, uti proximè præterita vice, leviter atque leniter fluere incipit; continuat sex illis diebus, *septimo* erumpit *largum profusivum*, donec post tertiam *profusionis* ingentis horam, membranacea, sed priore longè tenuior & difformior, substantia, grumofum sanguinem huc illic inclusum ostendens, excerneretur: Quo factò, remittebat iterum profusio illa, curabatur *Patiens*, & ad se revertebatur. Eadem penitus scena ludebatur iterum *tertiâ* vice. Imo iterum *quarta* vice, sed catastrophe tragicis modis longè propiore; quandoquidem non solum diutius durabat totum negotium, antequam excretio membraneo-fungosi, licet exigui, concrementi, tandem denique sequeretur, adeoque *profusioni* illi sanguinis, etiam veluti per insultus, (nempe leves uteri spasmos) tanquam è syringâ *scaturientis*, sinem imponeret: sed etiam hæc prodiga effusio *Patienti* jam quartam & profundam quidem *lipothymiam*, brevibus intervallis intercedentibus, induxerat. A quibus etiam rebus *Patiens*, magna capi-

tis



is debilitate, *auditus* insigni diminutione, diurno *pallore*,  
 iusti *caloris* defectu, multa *somnolentia*, sed parva à somno re-  
 focillatione, aliisque vitalium actionum æquè ac animalium  
 debilitationibus ac langvoribus, obnoxia persistebat, ut vix  
 langvidissimè nonnihil ad se, & cum sanitate in gratiam, redi-  
 re appareret; dum interim *quinta vice* hunc labyrinthum ite-  
 rum incidit. Concipit inquam, & gerit iterum eodem pro-  
 gressu & successu, uti proximè præcedente, imò singulis præ-  
 gressus vicibus. *Duodecima*, inquam, septimana incipit, &  
 per totos sex dies placidissimè fluit, *septimo* verò impetu pro-  
 rumpit sanguis. Hoc ubi vix per 5. quadrantes horarios ita  
 continuavit, utique à pristino illo malo adhuc tota enervata  
 Pateriens, incurrit iterum *lipothymiam*, statim profundam &  
 diurnam: Cum vix ad se revocata esset, sed summè langvi-  
 da atque debilis, *vertigine*, *visus* debilitatione, & ingenti *aurium*  
*sonitu* obruta, *pallida*, *frigida*, *anxia*, iterum *animo* linguatur,  
 cum summà *faciei* extenuatione, & oris *livore* pallido, *asphyxia*  
 iterum uti antecedente insultu, plenà atque diurnam: Si-  
 mulatque pulsus & animus reverteretur, quasi scaturiens san-  
 guinis proluvis: virium verò Patientis lapsus immanis recur-  
 rebat.

Quæritur, an hic spectatorem agere sufficiat? Certè  
*analeptics*, *nervinis*, *uterinis* leniter *adstringentibus*, de *Hyacin-  
 tho*, de *gen mis*, *perlatis*, *corallatis*, *cordialibus*, nihil quidem par-  
 cebatur, sed operosus fortè esset, certo determinare, plusne  
 commodi an incommodi dederint.

Certissimum erat præsentem Medico, quod hæc omnia,  
 imprimis vero Fons periculi totius, statim sublevationem ac-  
 ceptura essent, si Abortus excessisset. Cum verò certe peri-  
 culum esset in morâ, conscientia suæ incumbere duxit, expe-  
 riri quicquid in se esset præsidii, cui tertia syncope favebat:  
 partim enim magis instigabat, ad ultimum remedium tentan-  
 dum, imprimis cum ita profunda esset, ut assistentes jam sub-  
 mul-



multis lacrymis conclamarent: Partim verò occasionem largiretur, remedium ingerendi, quod alias propter *formam pulverulentam* quam ad præsentissimum usque vomitum averfabatur Patiens, vix locum invenisset. Itaque per aliquot suspiria reviviscenti, & inter inclamationes circumstantium tandem, nondum tamen recte, sui memori, offertur remedium expulforium. Quantum vix credi possit brevissimo post temporis spacio, excernitur concrementum iterum informe membranaceum, spisso coagulo sanguinis veluti per varia loculamenta intus suffarctum. Statim moderatior fit fluxus remedia omnia analepsin præsentiozem assequuntur, repurgato tandem recte Utero atque corpore, per medicamentum, cui hætenus perpetuo negatus fuerat locus, non solum sub divina gratia rectissime ad se revertitur Patiens: sed post paucas septimanas iterum concipit, gerit Fœtum suum tranquillissime, & parit felicissime, Filiam hodieque supersitem.

Sane verò ubi evidentes impendentis Abortus sunt *præiustiones* non solum, sed etiam præsentissimi tales apparatus: si ibi res eousque in periculum adducatur, ut matri mors imminere compareat: Certissimam arbitramur esse *prognosin*, quod Abortus, ad hunc usque apicem progressâ commotione, inevitabilis habendus sit, adeoque pro vitâ matris salvandâ, illum potius ad ultimam excussionem promovere conveniat, quam otiosum harum rerum spectatorem agere.

Ut ita breviter, *prognosis Abortus* hoc intuitu, eò recidat:  
 „ si Fœminæ prægnanti prioribus mensibus, præsertim mens-  
 „ struo tempore, eruptiones sanguinis vehementes contin-  
 „ gunt, quæ placidis adstringentibus atque roborantibus ni-  
 „ hil aufcultent, Fœminatam potius gravissime exhauriant, imo  
 „ in syncopen & præsentiozem vitæ periclitationem conjici-  
 „ ant, quod in tali constitutione nulla alia formari possit pro-  
 „ gnosis, quam quod rebus ita constitutis, Abortus infans  
 „ evitari non possit: adeoque si ejus promotio periculo vitæ  
 ma-



maternæ avertendo inservire possit, illam quidem iure, ,, meritoque institui debere.

*Fœtus mortui* diagnosis simulac magis certa est, nulla inde certior formari potest prognosis, quam quod, nisi quantocyus ejiciatur, *energia* ad exclusionem, non tam in horas, quam propemodum minutas, aut ad summum quadrantem, magis magisque defutura sit: Neque solum hæc ad partum *energia*, sed universæ vires magis vitales inquam vires: adeo ut sicubi de reliquo tenerior, minus valida, imprimis autem meticulosa sit puerpera, aut alioquin etiam (communiter tamen ex hujusmodi indole corporis & animi) *lipothymia* obnoxia, spes totius vitæ ejus in dubium adducatur, imo satis frequenter funestum exitum fortiatur.

Si *Fœtus mortuus*, non tempestive excludatur, Patiens interim adhuc vegetior, & ut vulgo loquuntur, robustioris indolis existat, non minoris difficultatis prognosis inde formari potest, quod *Fœtus*, nisi dextre per Chirurgiam extrahatur, & secundine pariter universæ decenter educantur, in utero computrescendo, gravissima quæque symptomata & pericula expectari debeant, imprimis Febres anomalæ, & omnino mali moris, cum summæ debilitationis, deliriorum, convulsionum, inflammationum atque corruptionum, concursu: Et, nisi quidem etiam tunc *Fœmina* commoriatur, variorum chronicorum malorum successus, *Atrophia*, *Hæctica*, *Cachexia*, aut perennis malæ valetudinis reliquæ.

Si his etiam rebus insufficiens uteri repurgatio ultima accesserit, quin *Fœmina* talis vitam gravissimis ærumnis obsitam post hac toleratura sit, fieri certe aliter minime poterit.



## Therapia ad Abortum & Foetum mortuum necessaria.

**R**editissime monetur à viris prudentibus, quod Anima consiliorum consistat in eo, ut sint *ευρηγαντα*, factu idonea, &, ut loquuntur, possibilia. Sane, vero quantam considerationem hoc monitum habeat in praxi medica, nemo potest intelligere, nisi qui experientiae solidam habeat peritiam; quandoquidem ibi miserum sane est, audire indies & videre tantum numerum consiliorum, quae Theoriae quidem & opinioni mirum, quam commoda videntur & opportuna: si vero ad experientiam revocentur, & secundum hujus testimonium, examinentur, si non absolute cerebrina judicari debeant, profecto ita comparata sunt, ut vix nisi rarissimis casibus & occasionibus quodcunque veritatis suffragium adipiscantur. Jamdudum certe dictis atque scriptis indigitatur ingens ille doctrinae nostrae practicae systematicae defectus, quod non condigne commemorentur, & ad censum atque tribus revocentur Affectus, quatenus vel certam curationis speciem atque spem admittant; & qua facilitate aut difficultate hoc faciant: aut saepe, imo ut plurimum, curam fallant atque respuant.

Ad hujusmodi certe examen merito vocatur *Abortus*. Pro quo quidem *eminus* praecipiendo, sive ut loquuntur *praeservando*, nempe *causas* ejus velut è longinquo subigendas, non inutilis est praecautio: quando vero Medicus ad rem jam *praesentioverem* advocatur, tunc communissime adeo irrita est omnis in solidum *directa* contra imminens hoc periculum Therapia, ut potius, quando praefertim *adstringentibus* aliquid tentatur, non solum incom-

mo-



modis, sed omnino periculis majoribus, Fœmina exponatur, quam quidem sponte metuere necesse fuisset.

Diximus jam superius, quod in malo eousque invalescente, ut etiam præter sensibilia in ventre incommoda, uteri *hemorrhagia* sese jam exferat, longe communissime utique irritum sit omne consilium & auxilium, idque locuples testetur experientia. In tali itaque casu, sive *adstringentium* aliorum, sive *confectionis* aut *specierum de Hyacinibo* usum, non solum supervacuum, sed prorsus ab ab instituto alienum esse, sana ratio distat. Certe enim postquam hucusque processit *Abortus* quasi *presentis* metus, nec impeditur ille *adstringentibus*, nec satisfit necessariis post ejus excussionem uteri *purgamentis*, quæ tamen in illo magis, quam in *vero partu* necessaria esse, quotidiana docet experientia: siquidem alioquin longe familiarius eveniunt pessimæ uteri dispositiones, imprimis ad *concrementa fungosa*, cum variis sanitatis muliebris dispendiis, & aliis malis pathematibus, imprimis autem certa dispositione ad *repetendum Abortum*, si nova conceptio succedat.

Unde quidem potius ita expectandus est harum rerum exitus, inter temperata *analeptica* atque *carminativa*. Sicubi vero *graviore* *hemorrhagia*, & reliqua vehementior parturientis debilitatio, invalescant, ibi quidem cujuslibet Medici prudentiæ relinquitur, an scrupulus incidere possit, quo minus ipsam *excussionem* etiam remediis *promovere* liceat, imo vero deceat.

Quando vero totus elisus est *Abortus*, ibi tanto minus opus aut usus est *adstringentibus*, cum *hemorrhagia* illæ sponte mitescant, aut certè *mitissimis*, magis *analepticis* atque *tonicis*, quam quovis modo *adstringentibus* auscultent.

Monitum jam est superius, quomodo conveniat ejusmodi Fœminam sese gerere; non solum nempe ut Puerperam, sed omni modo circumspectius atque tranquillius, ne quacunque ratione *debitus successus fluxus uterini*



*rini sufficientis* præmaturè obstruatur: à qua re certo infal-  
libiliter pejus, quam sanam decebat, diu postea habituram  
esse Fœminam, præflagire licet.

Potius itaque quicquid etiam aliàs intentioni *ute-  
rum puerperæ rectè repurgandi* idoneum esse potest, tali tem-  
pore in usum trahere iustissimum erit; quod quidem  
cujuslibet dexteritati & experientiæ relinquatur: Inte-  
rim, quid in hoc casu possit remedium *Differt. de Puerper.  
Affect.* nominatum, *Pilula* sic dictæ *Balsamicæ* D. D. Præ-  
fidis, præstat experientiæ commendare, quam verbis com-  
mentari. Illud hætenus confirmavit multiplex experi-  
mentum, quod pessimum illud Abortus male expurgati  
consectarium, *fungosa* concrementa uteri, per hoc reme-  
dium ita certò atque cito, sub divina gratiâ, penitus pro-  
fligatum fuerit, & Fœminæ *sanitati*, imprimis autem fe-  
licissimæ *Fœcunditati* & *evolutæ* restitutæ, quam à nullo  
alio remedio, (utpote quæ pariter in cassum adhibita fue-  
rant variè à variis) impetrari potuit.

Fœtus, ubi è signis sufficientibus cognoscitur *mor-  
tuus* esse, promovenda venit omni modo tempestitiva illi-  
us exclusio; jungendo imprimis, quibuscunque magis fi-  
dere licet, *analeptica*, cum *expellentibus*. Non segne aliàs  
in promovenda *Fœtus* *exclusione* sese gerit *hepar anguille*; *Borax*  
etiam *Veneta*, ad *revocandos partus dolores* subinde,  
fatis bonum præstat usum: Interim in *Fœtu mortuo* subin-  
de dispar est harum rerum successus, & eò magis quidem  
quo manifestiores alterationes, in Fœminæ parientis cor-  
pore & animo, jam observantur.

Quod ad nostras manus pervenerit, nullum adhuc  
habemus solidum documentum, de certâ, & de reliquo  
etiam *securâ* efficacità, supra nominati Ceylonici vege-  
tabilis, *Adhatode*, seu *Echoli*. Certè verò, cum relatio-  
nes historicæ efficaciam ejus commemorent ita quasi spe-  
cificè ad *mortuum* Fœtum, ut etiam *nomen* ejus appella-  
tivi



tivi significatûs esse interpretentur, quod designet herbam ad Fœtum *mortuum*, non parva certè laude digna esset ad hujusmodi casus, si securè dari possit.

Si *vires* nimium fatiscantes, & irrevocabilis veluti *defectus dolorum* ad partum, spem felicioris liberationis Puerperæ à mortuo Fœtû, dissuadeant; & metum periclitationis *vite* ipsius incutiant, nihil imprimis proficientibus medicamentis expellentibus: *manuali extractioni* cadaveris adhibenda est opera, & dexteritati *Medico-Chirurgicæ* insistendum.

Quando verò etiam à *mortuo Fœtu* liberata est puerpera, tantò magis & corpòris & animi ejus analepsi invigilandum est; justæ vero *Lochiorum* expurgationi, & reliquæ uteri mundificationi insistendum. Sicut enim verà in genere de *Lochiorum fluxu* valet, quod propemodum quilibet usus *adstringentium* in illo æquè suspectus esse debeat, & familiaria pericula succedentium pejorum effectuum post se relinquat, ac in *hamoptysi*, ubi familiariter *Phthisis* succedit: Ita tantò certius hoc evenit, quando vel *Abortus*, vel *mortui partus hæmorrhagiis*, *adstringentia* liberalius adhibentur. Imò verò, si etiam sine positivâ *adstringente*, fluxus non sufficienter & debite procedat, est sanè effectus in nostræ tractationis casibus quasi infallibiliter pejoris indolis, quàm in *simplici* puerperio. Unde quidem merito omnem scientiam & peritiam adhibeat Medicus, ut his cum primis casibus rectè consulat: Ubi tamén cujuslibet judicio merito relinquenda venit, imò verò commendanda prudentia illa, ut rebus sic *sponse* tolerabiliùs *procedentibus*, intempestivis officis aliquid perturbationis afferre caveat; & quicquid etiam contribuere posse sibi videatur, magis *placidissima*, quam quascunque commotiones parturiente, medicatione absolvat: Talia enim demum Medicamenta & methodus talis puerperis



peris recte conveniunt, quibus nihil nisi *tranquillissime*, & *tamen efficaciter*, peragitur.

Quando neque *manuali operationi* commoditas præstò est, neque *medicamentis* auscultat exclusio Foetus mortui, sed potius ille in utero reses, sensim *computrescere* incipit; ibi quidem & in genere difficiliora sunt omnia, & in specie *mali moris Febres* ordinariè concurrere solent. Has autem cum ex alio fonte tractare conveniat, non est, quod circa illas prolixius occupemur: At verò *criticis* imprimis diebus, etiam tentaminibus pro adhuc provocanda *elisione* locum esse, omni modo monere, convenit: Tantò magis autem illud, quod pro obtinendo hoc scopo, remediis utique opus sit, quæ nullâ *humorum* reliquâ *perturbatione*, *Febri* aliquod præjudicium afferant. *Analepsin* autem quantumcumque, commendatissimam in hoc casu semper esse debere, monebunt ipsæ corporis & animi vires, gravissimè hic langvescentes.

Hæc omnia atque singula si ita rectè perpetrata sint, non opus erit, ut impofterum aliquid metuatur, circà futuras conceptionis aut gestationis periclitationes. Illud tamen confirmat *Experientia*, quod, quò graviùs talem puerperam habuit prægressâ illa infausta constitutio, eò faciliùs subsequente *Imprægnatione* iterum aliquæ turbæ suscitari soleant. Unde quidem imprimis circà illud tempus, quo prior *Abortus* contigit, cavendum est iterum prægnanti, ab omnibus occasionibus novæ commotionis: sed inter has etiam ab ipso *metu intentione* revertentis similis periculi.

Tantò meliùs proximo à recuperatis viribus *fluxu menstruo*, adhibentur iterum remedia illa, quamdiu fluxus ille procedit, quæ ad rectè *repurgandum uterum*, verè & efficaciter idonea sunt. Sub quâ quidem medicatione, & purgationis hujus justo successu, sine insolitis fluxus  
 talis



talis circumstantiis, tantò securioribus esse licet de rebus undique rectè constitutis.

Et ita quidem etiam rectissimè consultum erit ejusmodi partùs vitiis, *Abortui* inquam & *mortui Fœtus* exclusioni, & sanitati ac incolumitati restitutæ, rectè vivent Fœminæ. Nos autem, absolutâ ita tractatione nostrâ, officio nostro perfuncti nobis videmur; unde nihil amplius, sed & nihil justius superest, quàm ut Divinæ Bonitatis, pro præstito nobis auxilio humillimas gratias persolvamus.

S. D. G.









Ūa 5316 <sup>b</sup>

ULB Halle  
001 500 139

3



sb


110A











DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De  
**ABORTU & FOETU MORTUO,**

Quam  
*In Alma Regia & Electorali Fridericiana,*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS  
BRANDENBURGENSIS HEREDE,

&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
P R Æ S I D E

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,**  
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.  
h. t. FACULT. DECANO,

*Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore  
suo, grata mente æternum suspiciendo,*

**PRO LICENTIA**

**Summos in ARTE MEDICA Honores, &  
Privilegia DOCTORALIA adipiscendi,**

*Ad Mart. Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis*

Ventilationi publicæ exponit,  
**JOHANNES KANOLD,**

Vratislavia Silesius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.